

www.e-rara.ch

Athanasii Kircheri ... Iter Exstaticum Coeleste

Kircher, Athanasius

Herbipoli [i.e.Würzburg], 1671

ETH-Bibliothek Zürich

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-1231>

Caput II. Exploratur maris fundus, & communicatio marium cum Oceano.

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelnformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

saxorumque foramina digesto concoctoque, ejusdemque fuctu vivunt. Hujus quoque generis sunt spongiæ marinæ, similiaque imperfectæ naturæ, mediæque inter plantas & animalia lchtyophyta.

CAPUT II.

Exploratur maris fundus, & communicatio marium cum Oceano.

C*osmiel.* Agedum Theodidacte, visis jam vegetantis sentientisque naturæ proprietatibus, nihil porro restat, nisi ut te prius in ipsâ subterranei mundi vestibula, qui Oceani mariumque fundus est, introducam, ut ex his demum, veluti per ingentis immensique palatii portas & ostia ad interiora Geocosmi adyta penetrare possis. *Theodidactus.* Torum tuæ me submitto dispositioni; novi enim, nihil mihi sinistra accidere posse, si tu, naturæ dominator, semper mihi præsto fueris, potenti que dexteræ tuæ auxilio me servum tuæ fidei commissum fulciveris. *Cosmiel.* Maeste animo, inexhaustos tandem Oceani fundos penetremus. *Theodidactus.* Ergo nec dum fundum attigimus? quid ergo, pratum illud, in quo tanto nos tempore detinuimus, fuit, nisi fundus maris? *Cosmiel.* Falleris, pratum enim, quod spectasti, intimus maris fundus non fuit, sed suprema ingentis scopuli planities? quare pergamus. *Theodidactus.* O mi Cosmiel, quo me Euro velociori motu ducis? jam enim verò cum Jona Propheta clamare possum, *Montium fundamenta cooperuerunt me, vultes terra concluserunt me*: obsecro te, ubinam locorum jam sumus? vel cuinam externæ superficiè loco tractus hic, in quo me constitutum video, respondet? *Cosmiel.* In maris Athalantici fundo hæremus. *Theodid.* Quo dicto, ingens mox lumen exortum, an à Cosmiele immediatè, an ab extrinseco quodam lumine ab ipso constitutum, nescio, illuxit, quo fundus maris mirum in modum illuminabatur. *Cosmiel.*

*Fundus
maris Athalantici.*

Cosmiel. Jam contemplare, Theodidacte, in hisce inferioris mundi corporibus naturæ Majestatem. Hoc loco nullum animal, ob continuam horrendamque vorticum voraginumque vehementiam, sine ultimo exitii periculo commorari potest.

Theodidactus. Quid sibi volunt hæ submarinæ in immensam longitudinem montium substructiones? quid ingens aquæ fulgentis calor & æstus? quid immensæ voragine, quibus fundum ubique pertusum video?

Cosmiel. Hi quos vides asperos & tortuosos montium tractus, innumeris scopulis, planiciebus, vallibus submarinis distensos, substructiones sunt ingentis cujusdam insulæ, sive culturam spectes, sive rerum omnium ubertatem, olim omnium beatissimæ, quæ tamen successu temporis ex vehementibus terræ motibus concussis fornicibus, columnisque montium, unâ cum hominibus lapsa submersaque, hujus, quam vides, ruinæ vestigia reliquit; terræ verò motus ex magno Vulcani cratere, huic subjecto originem traxit; cujus quidem aperta signa sunt, caloris & æstus, quem mirabaris, vehementia, cui in hunc usque diem insulæ, quas Terceras vocant,

Montium tractus sub mari quid figent.

Terra motus origo.

ex veteri ruina superstites, subjectæ, nullo non tempore ingentia detrimenta expertæ sunt; voragine verò, quas vides, sunt illi aquiductus, & canales, in cæca alicubi montium viscera aquam Oceani exonerantes, de quibus postea fusiùs tecum agam.

In sula Tercera ex terra motu superstites.

Theodidactus. Ecce novos semper & novos vortices & voragine: ingentesque fundi hiatus; quorum nonnullos majoris capacitatis, quàm vel ipsos crateres Vesuvii aut Ætnæ olim à me dimensos deprehendo. Et quonam aquas immensi hujus Oceani deportant?

Vortices immensi quorum aquam derivens.

Cosmiel. Ecce, jam Americæ insulis, atque aded ipsi continenti vicini sumus. Nonnulli itaque dictorum canalium intra insularum circumjacentium montes, quidam intra Americæ vastissima montium receptacula, ad fluviorum lacuumque originem constituendam per immensas subterraneas anfractuosasque ambages derivantur.

Oceanum Atlanti-cum canalibus abundare.

Theodidactus. Sûntne plures hujusmodi hiatus, & canalium hisce similia orificia? *Cosmiel.* Plura omnino sunt, & majora per totum hunc Oceani tractum à natura disposita, Nosti, Theo-

Flumina
quædam
America
ex Atlan-
tico mari
orta per
meandros
tandem in
montibus
effluunt.

Salsedinem
quomodo
mare in
montibus
deperdat.

Oceani
Australis
cum Atlan-
tico com-
municatio.

Subterra-
nei meatus
structura &
descriptio.

didacte, ex Geographica disciplina, vastissima fluminum maria, cujusmodi in America sunt Flumen Amazonum, Maragnon, Flumen S. Januarii, Laurentii, aliaque innumera universam Americæ faciem rigantia; quæ quidem non aliam, nisi ex hoc vel Occiduo, vel Ortivo Oceano aquarum, per occultos horum hiatus cæcosque voraginum mæandros in montium viscera deductarum originem sortiuntur. Ad flumina itaque ingentia constituenda, ingens aquarum transfusarum, vis necessaria est. *Theodidactus.* Sed quomodo mare, cum falsum sit, nativam suam salsedinem, intra montes delatum ita subito deponit. *Cosmiel.* Nolle debes, terrestrium partium naturam, ita constitutam esse, ut mox ac aqua per eas colatu quodam transierit, illæ naturali attractu salem aquis insitum, in se attractum, in necessarium debitumque sibi alimentum, sine quo nullæ in terra generationes fieri possent, derivent. Et hoc pacto aquæ marinæ, salsedine suâ exutæ, exsuctæque, in dulcem saporem convertuntur. Sed hæc alibi copiosè tibi ad Hydriele exposita sunt. *Theodidactus.* Nodum omnem difficultatis solvisti, & ego experientis convictus in aqua marina per arenam, argillam, cretamque colata, verissima quæ dixisti comperi; præsertim si calida, uti in montibus per subterraneos ignes fit, colata, dictas materias transeat. Sed ò *Cosmiel*, quàm ingentem portam hîc apertam video! quàm immensum intra montium fauces hiatus intuecr! *Cosmiel.* Ne mireris; hic enim est magnus ille subterraneus meatus, quo Oceanus Atlanticus Australi Oceano, occulto quodam conjugio maritatur: qui nobis modò transeundus est, ut utriusque Oceani abditam & nunquam visam constitutionem exactiùs contempleris. *Theodidactus.* O quanta & quàm mirifica structura! quàm horrendis rupibus omnia rigent! quanta hiatus orificia panduntur! quantum canalis modò coarctatur, modò in immensum dilatatur! ut jure Subterraneum Pelagus dici possit: quàm fornices alti, quantâ lapidum varietate contexti, omnia tamen asperâ, solidâ, firmâque compage connexa, ferè æterni laboris opus. O mi *Cosmiel*, forsan Isthmum inter Panamam, & Nombre de

Dios constitutum transimus. *Cosmiel*, Ita est, Mare liqui-
dem Australe Boreali hoc ponte Isthmico determinatur. *Theo-* Mare Au-
strale
Isthmus s. p.
minat.
didactus. Et quando tandem finis horum mirabilium? *Cosmiel*.
Jam jam finem attigimus; respice oppositam priori Australis
Oceanij portam hanc subaqueam. *Theodid*, Non portam video,
sed multorum milliarium hiatus intra montem excavatum,
Sed, ô *Cosmiel*, éstne possibile, Oceanos & Maria subterraneam
communicationem habere? *Cosmiel*. Quid dubitas, fili, rem
ita se habere, uti modò in hoc, ita paulò post in multis aliis
spectabis. *Theodidactus*. O magnalia DEI! O ineffabilem
Opificis mentis sapientiam! O quàm pauca, non dicam coele-
stium rerum, sed & hujus sensibilis Geocosmi, quem pedibus
calcamus, quem quotidie oculis evolvimus, mysteria humani
intellectus caducitas novit! Sed pergamus. Et ecce, per in-
numeros monstroforum piscium exercitus transeuntes, juxta
innumeras variarum insularum substructiones, inexplicabili
naviculæ motu delati, ubique Oceani fundum innumeris
passim hiatibus, canaliumque orificiis pertusum, sub-aqueis
nunc montibus, scopulis, planitiebus, nunc vallibus in immen-
sum exporrectis refertum offendimus; donec tandem ad In-
sularum Philippinarum submarinum Archipelagum delati,
intra canalem quendam in Australem polum vergentem,
defleximus. Hic ego summâ curiositate exæstuans cogno-
scendi incognitarum Australis terræ regionum situm, sic du-
cem meum affatus sum. O mi *Cosmiel*, si inveni gratiam in
oculis tuis, duc, rogo, servum tuum aliquantulum in extimam
maris superficiem, tum liberiori aurâ fruendi gratiâ, tum ad
regionum, si quæ sunt, Australium in hunc usque diem laten-
tium situm explorandum. *Cosmiel*. Fiat, uti postulasti. *Theodi-*
dactus. Et ecce, in patentissimo pelago me constitutum reperi.
O mi *Cosmiel*, quantopere mihi consueta auræ liberioris lim-
piditate & dulcedine gaudeo! reviviscit sanè spiritus meus
prodigiosarum rerum spectaculis penè exanimatus, ad coele-
stis hujus lucis intuitum. Sed ecce continentem ego video in-
gentibus montibus cinctam. Quanam, rogo, hæc regio est?

Terra incognita confusio.

quodnam ei nomen? *Cosmiel.* Illa est terra illa incognita, quam australem vocant. *Theodidactus.* Sûntne in ea homines? éstne ferax, & ampla? *Cosmiel.* Tota, quanta hominibus est habitata, feracissima insuper, & animantibus omnis generis cultissima, & continuo tractu intra Zonæ temperatæ limites distensa, longitudine Europæ & Asiæ haudquaquam cedit. *Theodidactus.* Quam, rogo, religionem hujus terræ incolæ profitentur? *Cosmiel.* Nonnulli Solem, Lunam, Stellas adorant; quidam nullius religionis sunt. Omnes veræ fidei, quæ est in Christum Servatorem tuum, & Dominum nostrum, expertes. *Theodidactus.* Et cur Deus benignissimus nullos Apostolos ad eos à

Judicia Dei impercrutabilia.

tanta cæcitate liberandos mandat? *Cosmiel.* Uti Dei judicia sunt abyssus multa, neque quisquam Angelorum aut hominum est, qui Divini consilii Sacramenta penetrare possit; ita præsumptione & temeritate non careret, illa curiosius velle scrutari. Veniet tempus, quo Deus eorum misertus mittat, qui Christum iis annuncient, & communi ovili associant, Apostolos, & forsân intra breve tempus illis cœlestis luminis gratia affulgebit. Sed nunc hæc de terra australi incognita sufficiant; pergamus. *Theodidactus.* O *Cosmiel*, jam rursus ingenti mari me expositum video. Et quodnam, rogo, illud? *Cosmiel.* Hoc est mare illud intra frigidam Australis poli Zonam constitutum, à nemine mortalium hucusque perlustratum. *Theodidactus.* Verè sub Zona frigida me positum reperio: nisi enim tu mihi succurreris, frigore mihi pereundum esse video. Quid, rogo, sibi concitatissimus maris in nos cum impetu irruens fluxus? nihil enim in cæteris maribus simile & magis formidandum me vidisse memini, videmur enim ingentibus fluctuum montibus non tantùm obrui; & hunc æstum perpetuò ferè experior, ut proinde minimè eum ex suborta quadam tempestate, aut ventorum impetu adeò vehementem furiosumque esse putem. Sed magnum hîc mysterium latere video. *Cosmiel.* Rectè judicasti; hoc enim est, quod suprà tibi manifestabam, mysterium, de Oceani sub polo Boreo absorptione, ejusdemque sub opposita illi hoc Australi polo regurgitatione

Mare Australe ad polulum frigidissimum.

Maris Australis regurgitatio.

Hic

Hic enim ex subterraneo suo aquæ ductu, aquæ inexplicabili vehementiâ & impetu revomuntur, ut denuo perfecta pericyclofi illuc refluant, ubi absorptæ fuerint. Scias verò, hunc locum hucusque mansisse inaccessum, cum nemo inventus sit, qui impetum hujus maris frangere, & quasi vi superare valuerit, sed omnes, quotquot inconsultius hæc loca vel adierunt, vel ventorum ad ea vi delati fuerunt, inevitabilibus fluctuum turbinibus & Euripis miserè perierunt. *Theodidactus*. O quam inaudita mihi narras! quam nullis unquam mortalium oculis visa demonstras! *Cosmiel*. Video te, *Theodidacte*, totum frigidis vehementiâ trementem tantum non emori: quare ad derelictam stationem revertamur. *Theodid.* Placet. O quam calidam repetitam stationem sentio. Non est dubium, quin fundus hic alicujus subterranei ignis spiraculis urgeatur. *Cosmiel*. Rectè dicis. Sed progrediamur, grandis enim tibi restat via. *Theodidactus*. Quidnam illud est? Video enim fundum maris, adeoque totam aquarum ei incumbentium molem, vehementi nescio quo motu concuti. *Cosmiel*. Istæ sunt illæ subterranei caloris expirationes, de quibus paulò antè loquebaris, quæ uti vehementium spirituum copiâ turgent, ita mirum in modum, dum violentam irruptionem moluntur, aquas perturbant, superficiem maris, veluti in cacabi morem bullientis pelagi, in sævissimas tempestates concitant, quin vel aërem liberiores nacti ventos impetuosissimos cum extremo navigantium periculo efficiunt. *Theodidactus*. Omnia ritè cepi. Sed quis ille suavissimus odor, qui tantopere odoratum meum afficit? *Cosmiel*. Scias, te jam intra Moluccas constitutum, in quibus ingens aromatum copia quotannis provenit. Vides hic ambrae grysiæ ubertatem? Vides Cariophyllorum, acervos? Sentisne Cynnami, nucis myristicæ, piperis, aliorum aromatum odorem? *Theodidactus*. Sentio, & miror, intra aquam quoque hujusmodi odores sensorium organum afficere posse. O quot vortices, quot hiatus, quot æstuantium aquarum fluxus & refluxus, inter harum insularum angiportus, uti & per totum hunc Indicum Oceanum intueor? *Cosmiel*.

Mare ad polos inaccessum.

Calor in fundo maris.

Mare ob ignium subterraneorum exhalationes fluctuat.

Canalis, quo
mare Indi-
cum com-
municat
cum mari
Caspio.

Omnes hi vortices canalium epistomia sunt, qui intra Imai, Caucaſi, & Parapaniſi concatenatorum montium viſcera in conſtituta ipſius à natura receptacula, ad Gangis, Indi, Hydaſpis, cæterorumque innumerorum fluminum ortum, Oceanium humorem perpetuâ quadam circulatione deponunt; quod qua ratione fiat, jam ſuprà audiſti. *Theodid.* Ecce nova porta non abſimilis ei, quam in Oceano Auſtrali reperimus; quid rogo ea indicat? *Cosmiel.* Hic introitus eſt ſubterranei ingentis longitudinis Mæandri. Agedum magno animo ſis Theodidacte; hic nobis modò tranſeundus eſt, & tunc tibi, ubi, & in quonam mari terminum ſuæ exonerationis inueniat, aperiam. *Theodidactus.* O quàm in tortuoſum me labyrinthum ducis! in quàm vaſta terrarum ſpatia me trahis! quanta lateralium meatuum multitudo & vaſtitaſ! heu quàm horrendas ingentium aquarum Catadupas audio! hîc non lacus, non planities, non flumina deſunt; præta quoque video virenti gramine veſtita, regnum jam Subterraneum ingreſſi videmur. *Cosmiel.* Minimè hoc tibi perſuadeas velim; eſt enim hic canalis ſingulari naturæ artificio intra terræ viſcera ad communicationem aquarum excavatus. *Theodidactus.* Et quando tandem hujus tranſitus finis? *Cosmiel.* Ecce jam finem attigimus. Ecce, naviculam in altum eduçam, ut novi aëris hauſtu reficiaris. Reſpice modò. *Theodid.* In mari patentiſſimo me reperio, altiſſimos tamen montes è regione aſpicio: quonam, rogo, terrarum, loco ſubiſtimus? *Cosmiel.* In mari Caſpio commoramur, quod per eum, quem tranſiſti, canalem cum mari Indico occulta aquarum commercia exercet. *Theodidactus.* O quàm aberrant Geographi, qui hoc mare lacum appellant, eò quòd omni exitu carere videatur. Ego verò jam apertè comperio, nullum eſſe mare, quod cum Oceano per ſubterraneos immenſæ magnitudinis canales ei, quem tranſivimus, haud diſſimiles non continetur. *Cosmiel.* Rectè judicaſti. Sed ut hæc omnia tibi luculentiùs pateant, ad deſerram ſtationem revertamur. *Theodidactus.* O quàm ſcopuloſum hujus maris fundum video! quanto ſubterranei ignis calore aſtuantem; quàm miris con-

Maris Caſ-
pis conſi-
gnatio.

trariorum

trariorum fluctuum agitationibus scævientem? Euripos innumeros hinc à natura constitutos video; & unde hoc? *Cosmiel.* Quia id ex omnibus partibus circumstitis maribus, & montium hydrophylaciis per subterraneos canales communicat, quæ cum contrariis fluctibus ei inferuntur; inde hoc æstu, his Euripis, hisce ingentium fluctuum globis illud agitari, nihil mirum est. Accedit fluctuum ad conclusa undique littora illidentium reverberatio, quâ mare quasi in perpetuos circulos agitur. *Theodidactus.* Sed quodnam novum hoc orificium intra montium substructiones sese nobis exhibet? *Cosmiel.* Transeamus illud, & exitus dabit rei veritatem. *Theodidactus.* Canalem non impari priori ingredi videmur; sed rogo te, ne sistamus; unum enim vidisse sufficiat, cum natura ad eandem amussim omnia metiatur. *Cosmiel.* Jam terminum attingimus; ecce, in superficie maris Euxini constitutus es. *Theodidactus.* Fieri ne potest, quod asseris? Ergone mare Caspium cum mari Euxino miscetur? *Cosmiel.* Omnino, & per hunc quidem, quem transisti, fornicem subterraneum, qui supra se ingentem Caucasum, & omnem Colchidis regionem, quam hodiernâ die Georgiam & Megreliam vocant, sustinet. Sed inferiorem stationem postliminio repetamus. *Theodidactus.* Non minùs impetuosum hoc Euxinum, quàm Caspium mare reperio, scopulis innumeris, & profundissimis abyssis refertum. Quanta porrò piscium diversitas & multitudo? Sed dic, rogo, quid vehemens ille impetus aquarum è latere ruentium? *Cosmiel.* Hoc in loco sese Tanais, magnâ aquarum mole gravatus, exonerat. Hinc ille impetus. Sed progrediamur ulteriùs. *Theodidactus.* Ecce, novos æstus experior, prioribus non absimiles, luctantium aquarum. *Cosmiel.* Illi à Borysthene & Danubio, ingenti aquarum coacervatione sese in dictis locis deponentibus, efficiuntur. *Theodidactus.* Quid sibi angiportus ille, in quem transimus? *Cosmiel.* Jam Constantinopoli vicini. Propontidem attingimus, in Archipelagum iter facturi. *Theodidactus.* O quot æstus, quot Euripos, quot ne fundo fundos hoc in loco reperio! quot & quantas insularum vicinarum substructiones video! quot calidas

Mare Caspium cum mari Euxino communicat.

Borysthene & Danubius exonerantes se in mari magnos æstus excitant.

calidas expirationes sentio, luculenta subterranei ignis vestigia! *Cosmiel.* Veritatem tetigisti; ingens enim huic loco Vulcani culina subest, quæ continuis exhalationibus hoc mare oppidò infestum reddit. Sed de his paulò pòst. *Theodidactus.* Et quando mare Mediterraneum subibimus? *Cosmiel.* Jam in eo actu moraris. *Theodidactus.* Certè Naturam semper ad eandem normam omnia constituisse, ex tot hiatibus & Mæandris fundorum pelagi hujus sat superque constat. Sed quid ingens illa vorago, quam hîc intra montium fauces apertam video? *Cosmiel.* Hæc prope Ægyptum constituta est. Sed ut omnia tibi pateant, ea nobis subeunda est. *Theodidact.* Fac, quod beneplacitum fuerit in oculis tuis, Eheu! quàm horrenda rerum facies? quanti fornices? quàm incomposita structura? quantum falis, quantam bituminis copiam exsudent parietes? quæso festinemus, mi *Cosmiel*, siquidem mephytim ex cryptis exhalantem amplius sufferre non possum. *Cosmiel.* Factum est, quod petisti; eleva oculos tuos, & vide circumfitas regiones, jam in pelagi superficiem elatus. *Theodidactus.* Verè, ubi sim, ubi morer, nescio; flumen ingens nos introisse puto. Et quidnam sibi vult sanguineus aquæ color? *Cosmiel.* Scias, te jam in mari rubro constitutum esse; quod color aquarum sat superque demonstrat. Et eo quidem in loco, quem Moyses quondam unà cum populo Israëlítico divisit stupendo miraculo aquis sicco pede transivit. *Theodidactus.* Fierine potest, nos in mari rubro constitutos; & quomodo, & per quam viam in illud ingressi sumus? Somnionè, an vigiliis fallor? *Cosmiel.* Non falleris: per subterraneum enim meatum, in quo graveolentem illam mephytim sentiebas, in hoc pelagus ad subterraneam marium communicationem luculentiùs demonstrandam, id est, ex Mediterraneo in rubrum emerimus. *Theodidactus.* O quàm stupenda, eaque nova in natura rerum miracula experior! ecce ingentes hîc ex Corallinis fruticibus plantatas à natura sylvas reperio; sed & scopulorum intricatissimæ series me pænè attonitum reddunt. Sed ecce novum prodigium. Video hîc scopulum ingentem, omni ferramentorum genere onustum, & veluti

Mare rubrum.

Mira in mari rubro.

trabali-

trabalibus quibusdam clavis instrumenta ferrea affixa : quid rogo illud? *Cosmiel.* Hic est scopulus magneticus, (quippe magnetibus hoc mare refertum est) qui naufragæ ratis ferrarias merces ad se attractas, indissolubili arcanioris naturæ vinculo tenet. *Theod.* Heu, quot hiaticibus, & quot stupendis aperturis fundus scatet! *Cosmiel.* Hi omnes aquis per suos canales inter Æthiopiæ Arabiæque felicis montium vicinorum hydrophy-lacia deducendis ad originem fluminum à natura destinati sunt. Sed jam iter prosequamur. *Theodid.* Videor ex monte quodam in imam vallem descendere; quidnam hoc indicet, rogo explices. *Cosmiel.* Rubri maris alveus ea se ratione ad Oceani Indici fundum habet, quemadmodum superior montis alicujus planities ad longè latèque circumfusam vallem se habet. Unde non mireris, te descendere; ex monte enim subaqueo, ad subaqueam vallem deponeris. Jam in Oceano Indico versamur. *Theodid.* Heu *Cosmiel!* ecce novam monstrorum, marinorum urbam. O quàm sunt horrenda, quàm vasta, quàm insolenti corporis specie deformata! quantâ luce radiant, & in carbuncolorum capiti infertorum morem lucent! nonnullorum capita cirris innumeris intricata, quædam tumore totius corporis tantùm non fatiscunt, sunt, qui cornibus flumina aquarum profundere videntur. *Cosmiel.* Illæ variae sunt Cetorum species, quorum naturam suprâ tibi exposui. *Theodid.* Festinemus rogo, ut ex tot ac tantis scopulis, extot fundi voraginibus exeamus: sat enim jam novi, quid illa ex tua instructione sibi velint; revertamur per hunc Indicum Oceanum in Atlanticum, unde digressi sumus. *Cosmiel.* Compleantur vota tua. *Theodid.* Vix dixerat, & ecce, vehementissimo quodam fluxu in Boream ferimur; incipiunt horrenda mox sævire frigora, ego totis artubus contremiscere. O *Cosmiel,* ubinam locorum hæremus? Quid concitatissimus ille maris æstus versus Arctum, quo veluti rapidissimo flumine secundo vento ferri videmur? *Cosmiel.* Jam intra arcticum circulum constituti sumus, ubi Oceanus occultâ parturientis naturæ violentiâ absorbetur. Recordaris, ni fallor, quantam intra circulum ant-

Comparatio
albei maris
rubri cum
Oceano In-
dico.

Aquam sub
polo arctico
absorberis

M m m m

arcti-

arcticum undarum contra nos irruentium vehementiam experti sumus. Habes jam limpida horum effectuum causam. Oceanus enim perfectâ pericyclofi hoc loco absorptus, sub opposito polo revomitur. Unde sicuti illum invitâ naturâ adimus, ita in hunc secundo fluxu rapimur. *Theodid.* O quàm horrendas tempestates experior! quàm formidabiles ruentium aquarum strepitus percipio! diceres mundi machinam facipientem ruere. *Cosmiel.* Disce ex his admirandis naturæ operibus, Deum cognoscere, illum amare, illum æternum possidere. Sed jam satis est; lustravimus admirandam interioris Oceani Oeconomiam, occultas & abditas semitas lustravimus omnes, reciproca marium cum Oceano spectavimus commercia; monstrorum, & quidquid mirum Oceani viscera gignunt, intuiti sumus; restat modò id, qui unicus erat propositus nostri itineris scopus, relicto subterranei Mundi vestigio, ejus interiora penetrare, ineffabilem naturæ majestatem in omnibus contemplari, ibi initium facturi, ubi primùm natura sui motus exordia ponit.

CAPUT III.

Subterranei Mundi arcana explorantur.

C*osmiel.* Geocosmi structuram, mi Theodidacte, non casu aut fortuitò ex limi confluxu coaluisse, sed ineffabili quodam Divinæ Sapientiæ opificio constitutam, ex iis, quæ paulò pòst tibi ostendam, patebit: ita ut non minorem in hac adornanda, quàm in Microcosmi fabrica construenda, industriam posuisse videatur. Agedum, mi Theodidacte, ne formidandis, quæ intueberis, spectaculis terrearis; ego enim tecum sum, ego te ab omni aquarum violentia, ab omni aëris coinquinacione, ab omni ignium voracitate defendam. *Theodid.* O *Cosmiel*; ego, sicuti huius tam ardui & inauditi itineris auctor fuisti, ita illud ad desideratum finem te conducturum confido;